UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

30. An Episcopus, qui loco, & non Dignitati renunciauit, possit conferre Ordines? Et quid maximè, si rogetur ab alio Episcopo? Ex p. 8. tr. 2. res. 7. p. 284.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

etiamſi ſuorum Epiſcoporum, ſeu Prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros Ordines etiam Præsbiteratus promouere præſumunt, quo plerumque fit, vt minus idonei, & rudes, ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tãquam inhabiles, & indigni reiecti fuerint ordinati, nec diuina officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare: nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cuiuſuis Ordinis recederint, aut motam traxerint vigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis, continuæ commenſalitatis ſuæ abſque ſui proprij Prælati conſenſu, aut litteris dimiſſoriis aliquos ſacros, aut Ordines minores, vel ad primam Tonſuram promouere, ſeu ordinare valeat. Contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab exequutione Ordinum, ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi. Hucuſque Concilium.

Sup. hoc infra in Reſ. 60. &. in to. 5. tr. 3. Reſ. 26. curſim in §. Verum.

3. Dicendum eſt igitur quòd Epiſcopus titularis non poteſt familiare ſuum, ſeu commenſalem ordinare ſine licentia ſui Epiſcopi, quamuis cum illo per triennium commoratus fuerit, Trid. *ſeſſ.4. de reformat. c.2. & ſeſſ.6. c.5.* Guttierrez *Canon. lib. 1. c. 26. n. 26.* Flain. *de reſign. lib. 1. q. 17. n. 17.* Vgolin. *de poteſtat. Epiſ. c. 4.* §. 14. Ordo tamen tenet, quamuis puniatur arbitrio ſui Ordinarij, Epiſcopus titularis, qui eum ordinauit ſine cõmendatitiis ſui Epiſcopi, à Pontificali ſuſpenditur per annum, Trident. *ſeſſ. 14. de reformat. c. 2.* Azor. *p. 2. lib. 3. c. 48. q. 6.* Vaſquez *in part. 3. tom. 3. diſp. 242. ex n. 45.* & alij.

RESOL. XXIX.

An Epiſcopus, qui tantum loco, & non dignitati renunciauit, poſſit conferre Ordines?

Et quid maxime, ſi rogetur ab alio Epiſcopo? Ex part. 8. tr. 2. Reſ. 6.

§. 1. RESpondeo affirmatiuè, ſi rogetur ab alio Epiſcopo: nam certum eſt Epiſcopum qui renunciauit loco tantùm, dignitate retenta, eſſe verè, & propriè Epiſcopum. Et probatur ex *dict. cap. 1. de ordinatis ad Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui,* vbi etiam tradunt Butr. & Abb. ſufficit enim ad hunc effectum, ſemel adminiſtrationem Epiſcopatus attigiſſe ad hoc, vt etiam ea ceſſante remaneat integra dignitas, in exemplo Comitum qui ſemel Prouinciam adminiſtrarunt, qui tales manent etiam adminiſtratione ceſſante, *l. vnic.* vbi Bart. *Cod. de Comit. qui Prouincias regunt, lib.* 12. cum quo concordat text. *in l. fin. Cod. de Decur. l. vnius, §. ſeruus ff. de quæſt. l. ſeruos §. non ſolùm. Cod. eod.*

2. Et ita docet R. Magiſter Candidus *tom. 4. diſquiſ. 4. art. 3. dub. 5.* vbi ſic ait. Epiſcopus, qui tantùm loco renunciauit rogatus ab aliquo Epiſcopo, poteſt omnes Ordines conferre ſicut antè; rogatus, inquam, quia cùm nullos ſubditos habeat, nõ poteſt ordinare alienos, niſi conſenſu illius, cuius ſunt ſubditi. Ita Alexander III. *cap. 1. requiſiuit à nobis, de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui.* Verum igitur characterem Ordinis, & exequutionem illius, à tali Epiſcopo ordinati reciperent.

RESOL. XXX.

An Epiſcopus, qui loco, & dignitati renunciauit, poſſit ſaltem conferre Ordines minores?

Et notatur non poſſe maiores Ordines conferre etiam ab alio Epiſcopo rogatum? Ex part. 8. tr. 2. Reſ. 7.

§. RESpondeo non poſſe maiores Ordines conferre, etiam ab alio Epiſcopo rogatus, ita vt vſum, & exequutionem ordinati maioribus Ordinibus recipiant. Et ratio eſt, quia Epiſcopus, qui loco, & dignitati renunciauit, officij ſui exequutionem non habet; & nemo dat, quod non habet, vt patet *in c. 1. de ord. ab Epiſc. qui renun.* Et docet in terminis Candidus *tom. 4. diſ. 4. art. 3. dub. 5.* ſecus autem dicendum eſt cum ipſo quoad Ordines minores; quod etiam præter Candidum docet Ricciullus *in lucubr. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 4.*

RESOL. XXXI.

Quibus Epiſcopus poſſit validè miniſtrare Sacramentum Ordinis? Ex part. 8. tr. 2. Reſ. 8.

§. 1. RESpondeo ſuis ſubditis. Et ideo, ne Epiſcopus ſibi non ſubditum ordinet, prohibitum eſt in Concilio Nyceno *can.* 17. & in Tridentino *ſeſſ. 23. can. 8. de reform.* licèt, vt obſeruat Villalobos *in ſumma, tom. 1. tr. 11. diffic. 9. n. 1. que ſi de hecho le ordenaſſe al que fueſſe de otro Obiſpado, llana coſa es que quedaria ordenado, mas pecaria mortalmẽte, porque tiene precepto deſto en derecho, por el qual ſi lo haze à ſabiendas, ò por ignorencia affectada, queda ſuſpenſo de adminiſtrar los Ordenes por vn año.*

2. Sed *notandum* eſt, quòd quis tripliciter efficitur ſubditus alicuius Epiſcopi, *Primò*, ratione originis, quia in eius Diœceſi natus eſt; *ſecundò*, ratione domicilij, quod in eius Diœceſi habet, (animo ſcilicet perpetuò ibi habitandi;) *tertiò*, ratione beneficij, quod in eius Diœceſi obtinet: vnde, qui in vna Diœceſi eſſet natus, & in altera habitaret, & in tertia haberet beneficium, ab illis tribus Epiſcopis poſſet ordinari, & literas dimiſſorias accipere. Et ideò in c. *cũ nullus, de temp. ord. in* 6. ſic habetur. Cũ nullus Parochiæ alienæ, præter ſuperioris ipſius licentiã, debeat ordinare: ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoueri deſiderat, oriundus, ſeu in cuius Diœceſi beneficium obtinet Ecclſiaſticum, ſeu habet licèt alibi natus fuerit, domicilium.

3. Sed ad ornatũ huius textus, & materiæ, plures non incurioſæ, ſed practicabiles quæſtiones ſunt inferiùs agitandæ.

RESOL. XXXII.

An Epiſcopus in aliena Diœceſi ſine licentia poſſit conferre ſuis ſubditis primam Tonſuram?

Et docetur Epiſcopum in aliena Diœceſi non poſſe celebrare Miſſam in Pontificalibus cũ Baculo, & Mithra abſque licentia Ordinarij? Ex p. 4. tr. 4. & Miſc. Reſ. 143.

§. 1. NEgatiuè reſpondet Campanil. *in diuerſar. can. rubr. 6. cap. 1. num. 2.* Barboſa *de poteſ. Epiſc. part. 2. allegat. 6. num. 15.* & nouiſſimè Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* ex iure nouo Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 5. de refor.* vbi prohibetur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN